



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

De Epistola.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

majori facere debet fiduciã , quòd pro nobis in orationibus contenta postulet Ecclesia , quæ quoniam in spiritu sponsi sui petit , in petendo non errat juxta illud ad Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus. Ipse autem spiritus in Ecclesia eius commorans postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

### De Epistola.

**L**acrýmis deplorandus abusus est inter fideles admodum frequens, quòd verbum Dei cum tam exigua reverentia , attentione ac devotione audiatur. Sæpè magnã audiendi aviditate ad celebrem aliquem Concionatorem audiendum accurritur. Quem , tametsi in se talis non sit, horã integrã nullo cum vicinis prolato verbo audimus. Quid autem est Epistola aliud, quàm brevis quædam concio ? quam SS. Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, aut de Prophetarum numero alius, aut vir aliquis sanctus ad nos habet; quorum ore Deus locutus est, & cælestem doctrinam proposuit. Dum ergo audis v. g. *Lectio Epistola B. Pauli Apostoli*; Imaginare S. Paulum tibi concionari. Sacerdos autem Pauli vel alterius verba recitans, & multò magis Christi in Evangelio, si id non faciat distinctè, clarè, & cum devotione & gravitate debitã, sed deperanter ac indevorè, melius staret cum histrionibus in theatro, quàm in templo cum Sacerdotibus ad Altare. Tu verò Epistolam legi audiens memor illius Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*



audit, qui vos spernit, me spernit. Benè ruminata in corde, quæ aure percipis, & documentum inde pro dietoto servitutum decerpe, & cogita coram Deo te substitutum malè, si sicut deberes, vitam tuam non instituas, qui tales quotidie audis Magistros ut SS. Petrum, Paulum aliosque Apostolos ac Prophetas.

*De Evangelio.*

*E*vangeliū tantundem sonat ac *latum nuntium*, & reverà ità lætum & bonum est, ut melius esse non possit pro vivis ac defunctis, sanis & ægris, divitibus & pauperibus, peccatoribus & iustis, captivis liberis, omnibus denique quâcunque necessitate pressis. Quibus in Evangelio remedium & medela proponitur. Testatur hoc Salvator ipse hæc *II. 61.* verba proferens: *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, predicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, predicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Nam iis *Luc. 4.* recitatis subjungit: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Dum scilicet me prædicantem auditis. Et nos Missam audientes audimus quotidie eundem Deum nobis prædicantem, læta nuntia per se denuntiantem, & abscondita à constitutione mundi per se eructantem, qui olim locutus fuerat per ora Prophetarum. Quàm ergo felices nos sumus in lege gratiæ præ illis, qui in lege naturæ & scriptâ vixerunt. Hinc colli-